



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 1. Quænam sunt Obligationes Conjugum inter se?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

TRACTATUS

profiteri & perseverare, etiamsi ea vitæ norma ei incommoda & difficilis appareat. Ita Azor, Lessius, Layman, & alii multi. nam is vovit absolute, & se obligavit ad profitendum, si iudicaretur idoneus, & ratio vivendi esset tolerabilis; plus enim vovit, quam qui vovit solum ingressum, ut constat ex S. Thom. 2. 2. q. ult. 2. 4. & ex communi sensu ac usu. Unde non ei licet egredi, nisi ineptus sit, vel difficultas tanta sit ut periculum peccandi vel impediendi majus bonum inducat.

Resp. III. Qui vovit Religionem non præfinito tempore, tenetur statim eam ingredi, & supra dicta præstare: quia dilatio minuit rem promissam, nempe, obsequium Dei; nam quo plus differt, eo minus reddit Deo, cujus obsequio promisit se totum vitæ suæ tempus daturum in Religione, si hæc ei conveniat. Ita Sanchez, De Lugo, & alii.

CAPUT III.

De Obligationibus Conjugum.

Q. I. **Q**uenam sunt Obligationes Conjugum inter se?

Resp. Ex communi, omnium sententia tenentur simul cohabitare & convivere, ex Gen. 2. & Matth. 19. *Dimittet homo Patrem & Matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* nam hanc cohabitationem non solum

solūm quoad tectum, sed etiam in convictu & cæteris exigunt natura contractūs matrimonii, vinculum ac debitum conjugale, pro-
lis susceptio ac conveniens educatio, & mu-
tua obsequia præstanda. Licet tamen viro
ob justam causam sine facultate uxoris ad bre-
ve tempus discedere, non vice versâ: imò diu
abesse licet viro, si res familiaris vel obsequi-
um Principis id exigat. Aliàs non licet, ex c.
i. de Conjug. lepros. *Cum vir & uxor una co-
ro sint, non debet alter sine altero esse diutius.* Ha-
bitationis autem electio ad virum pertinet,
cum sit mulieris caput, ex i. Cor. ii. unde
uxor tenetur maritum sequi, c. *Unaquæque.* 13.
q. 2. nisi obstet grave periculum corporis vel
animæ, vel speciale pactum antecedens; nam
præceptum naturale vitandi peccatum & tu-
endi vitam prævalet.

2. Debent sibi mutuum amorem charita-
tis specialem: nam sunt specialiter mutuo
conjuncti, tum per contractum insolubilem,
tum etiam per Sacramentum, quod est signum
unionis Christi cum Ecclesia, quam inter se
imitari debent. Uxor autem debet insuper
marito honorem, obsequium, & in iis quæ ad
gubernationem domūs, filiorum educatio-
nem, & bonos mores spectant, obedientiam.
Item tenetur domūs curam habere, ad Tit. 2.
& viro opportunè & sufficienter necessaria
subministrare.

Vir verò uxori debet regimen, curam, tute-

F 5

lam

lam, sustentationem, & correctionem rationabilem; nam vir est caput & Superior uxoris. Quamvis autem, ex S. Antonin. & S. Thoma in 4. dist. 35. a. 2. ad 1. maritus possit aliquando uxorem verberare moderatè, ad eius correctionem ob gravem culpam, si eius emendatio id exigat; tamen in praxi uxoris verberatio rarò moderatè & utiliter fit. Certè extra hanc exigentiam non licet verberare uxorem, nec verbis contumeliosis afficere; nam ipsi debetur honor & amor; cum uxor sit commembrum viri, principium familiæ licèt subordinatum, & socia atque adiutrix domesticæ administrationis. Hæc Officia mutua tradit, Apost. Ephes. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie... Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam... unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum. & ad Tit 2. Viros suos ament, prudentes, castas, sobrias, domûs curam habentes, benignas, subditas, viris suis.*

Tenetur etiam vir uxorem alere, ac sustentare convenienter suo statui pro suis facultatibus; idque tum ex conjugalis vinculi & amoris debito: tum ex officio capitis familiæ, cujus primum membrum est uxor: tum ex iustitia, nam ideo ab ea accipit dotem, & bonorum administrationem obtinet, ut matrimonii onera sustineat, uxorem & familiam sustentet,

l. 20. Cod. de jure dotium. Quòd si dotem non exegit, tenetur adhuc uxorem alere, quia jure suo cessit, & est semper ejus caput, habetque ejus operas sibi obligatas. Ideoque vir tenetur diligentiam & laborem saltem mediocrem adhibere ad bona conservanda & acquirenda, ut possit uxorem & familiam convenienter statui suo sustentare.

Hinc graviter peccat uterque conjux, si iras, odium, dissensiones excitet vel foveat, si pacem & societatem conjugalem turbet; si alterum contumeliis afficiat; si ad iram gravem vel aliud grave peccatum incitet, aut ei peccandi occasionem præbeat; si sine sufficientibus indiciis malè judicet de alterius continentia; si rem familiarem non curet, si bona dilapidet, &c.

Speciatim autem uxor graviter peccat, si viro in re gravi ad bonos mores, vel ad familiarum bonum & domus gubernationem spectante, non obediat; cum in his sit viro subjecta; si imperium sibi vindicet, nam alienam potestatem sibi usurpare nefas & iniquum est; si quid notabile ex bonis communibus impendat vel alienet contra voluntatem rationabilem mariti, & consuetudinem legitimam foeminarum similis status; si domus curam negligat; si virum inopem non alat cum potest: nam uxor dives virum inopem sustentare, & casus ejus fortuitos ferre debet, ex l. 22. ff. Solutio Matrimon. hoc enim exigit specialis amor conjugalis, quem ei debet.

3. Con-

3. Conjuges debent sibi mutuo fidem conjugalem in ordine ad copulam conjugalem, & omnem actum venereum qui ex se ad illam refertur ac tendit, ita ut in illis quivis actus venereus cum aliena persona, vel circa alienam, ut copula, tactus, oscula, vel horum desiderium, delectatio venerea, pollutio voluntaria, & omnia peccata luxuriæ, præter malitiam luxuriæ & propriam, contineant injustitiam mortalem ratione conjugii: nam ex 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergo uterque conjux solus habet dominium integrum corporis alterius quoad copulam, ideoque & ad omnes actus ad illam ordinatos: & obligatur ad abstinendum ab omni actu venereo cum alio, eo quod de se ad copulam & adulterium referatur, ut rectè docet Sanchez. Quare conjugi fit injuria, si aliquis actus venereus exerceatur erga alteram personam, vel optetur.

4. Tenetur uterque reddere debitum conjugale, hoc est corpus suum ad copulam conjugalem dare alteri rationabiliter petenti, ex 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro... nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Et quoad hoc uterque habet æquale jus; nam ex vi contractus Matrimonii vir & fœmina transferunt in se mutuò potestatem corporum in ordine ad copulam: & sic uterque ha-
bet

bet ius in corpus alterius ad copulam. Hæc obligatio est sub mortali cum sit iustitiæ, & in re gravi. Deinde ex debiti denegatione alter conjux conjicitur in periculum pollutionis & incontinentiæ. Unde est mortale vel semel sine justa causa debitum negare, illud seriò, instanter & rationabiliter petenti, vel si sit periculum incontinentiæ. Non est tamen mortale denegare, si compars remissè petat, & dilationem facillè concedat citra periculum incontinentiæ, cum tunc non graviter exigatur: imo nec veniale, si petens non sit sui compos, ut in ebrietate vel amentia, quia illa petitio non est actus humanus; item quoties petens non est rationabiliter invitus, quod patet in aliis debitis, ut si reddi nequeat debitum sine notabili detrimento sanitatis, & periculo morbi; si nimis sæpè petatur, aut tempore fluxus menstrui, graviditatis, puerperii, citra periculum incontinentiæ: nam conjuges non tradunt sibi invicem potestatem suorum corporum, nisi ad usum rationabilem, & salvâ personæ incolumitate, cui rectus ordo naturæ prius consuli exigat quam generationi proli. Item conjux non tenetur debitum reddere, si compars adulterium commiserit: quia ob tale crimen & fidem violatam amisit jus exigendi. Hæc tamen potest petere debitum tanquam licitum & benevolè concedendum, non exigendo tanquam debitum, quandiu compars ignorat vel dissimulat; quia non tenetur

netur

netur crimen suum prodere, nec pœnam hanc in se exequi, donec ei à conjugè innocente imponatur. Quòd si uterque conjux adulterium commiserit, utriusque licet debitum petere & reddere, eo quòd *comparia crimina compensatione mutua deleantur*, c. ult. de adult.

Porro non licet debitum denegare ob devotionem vel communionem intentam, si absolute exigatur, vel periculum sit incontinentiæ, dissensionum, &c. Neque ob paupertatem seu metum impotentiae sustentandi prolem numerosiorem; nam debet in Dei providentia confidere. Tamen S. Antonin. censet licere conjugibus mutuo consensu abstinere à copula ad vitandam filiorum multitudinem, modò absit periculum incontinentiæ. At mulieri non licet denegare debitum ob incommoda & molestias quas gravida experiuntur, vel ob difficultatem ordinariam partûs: nam nubendo talibus pœnis à Deo Evæ & aliis mulieribus impositis se spontè subiecit. S. Carolus monet conjuges, ut in magnis anni solemnitatibus, diebus dominicis, diebus jejuniorum, & certo tempore orationi destinato, & quibus diebus Eucharistiam percepturæ sunt, sumptierintve, ab usu Matrimonii, quantum possunt, communi consensu abstineant: idque conformiter multis Canonibus antiquis.

Q. 2. *Quibus casibus non licet debitum petere?*

Resp. I. Ex communi, sub mortali non licet con-

con-